

ad hoc nullus urgebat, nisi amor devotionis; tamen et ipse post triduum, cum illuso tyranno, impositus super craticulam exureretur: «Assum est, inquit, versa et manduca.» Ita animi virtute vincebat ignis naturam.

POTESTATES NON IRRITANDAS, ET ADULATIONIBUS NON
ATTENDENDUM.

Cavendum etiam reor, ne dum aliqui nimia gloriæ ducuntur cupiditate, insolentius abutantur potestatibus, et plerumque aversos a nobis anima gentilium, in studia persecutionis excitent, atque inflamment ad iracundiam. Itaque ut illi perseverare possint, et supplicia vincere, quantos perire faciunt? Prospiciendum etiam, ne adulantibus aperiamus aurem. Emolliri enim adulatione, non solum fortitudinis non esse, sed etiam ignaviae videtur.

DE TEMPERANTIA, ET EJUS PARTIBUS.

Quoniam de tribus virtutibus diximus, restat ut de quarta virtute dicamus, quæ temperantia ac modestia vocatur: in qua maxime tranquillitas animi, studium mansuetudinis, moderationis gratia, honesti cura, decoris consideratio spectatur et quæritur. Ordo igitur quidam vitae nobis tendens est, ut a verecundia prima quædam fundamenta ducantur: quæ socia ac familiaris est mentis placiditati, proterviæ fugitans, ab omni aliena luxu, sobrietatem diligit, honestatem fovet, decorum illud requirit. Séquatur conversationis electio, ut adjungamur probatissimis quibusque senioribus. Namque ut æqualium usus dulcior, ita senum tuitor est, qui magisterio quodam et ductu vitae colorat mores adolescentium, et velut murice probitatis inficit: namque si hi, qui sunt ignari locorum, cum solertibus viarum iter adoriri gestiunt; quanto magis adolescentes cum senibus debent novum sibi iter vitae aggredi, quominus errare possint, et a vero tramite virtutis deflectere? Nihil enim pul-